

non posset, quia esset veluti uncus voluntatem raptans. Deinde illa responsio, ut supra late ostendi, destruit propriam sententiam; nam si auxilium tale est, ut implicet contradictionem cum illo componi carentiam actus, quomodo actus ille est evitabilis supposito auxilio, nam evitabilitas dicit possibilitatem carentiæ actus, non obstante auxilio, quæ possibilitas fundari debet in potestate vitandi actum in sensu composito, et stante auxilio; vitare autem non est aliud quam carere illo; ergo includit potestatem carentiæ actu, conjungendo illam carentiam cum tali auxilio. Quæ autem potentia potest esse ad id quod implicat contradictionem? Præterea, distinctio illa inter infallibile et inevitabile optimè est, si infallibilitas solum dicat habitudinem ad scientiam intuentem veritatem futuri effectus in se ipsa; si autem oriatur ex causa, involvit repugnantiam, nam talis infallibilitas fundatur in inevitabilitate effectus a tali causa. At vero effectus auxilii efficacis dicitur esse infallibilis ex vi auxilii secundum se spectati, ut est causa talis effectus; ergo repugnat dicere effectum sic infallibilem non esse inevitabilem respectu talis auxilii. Et ideo Davila, in suo libro, sæpe dicit hoc auxilium movere voluntatem infallibiliter et inevitabiliter, et Cabezudo dixit infallibiliter et immutabiliter, quod perinde est; qui certe magis consequenter loquuntur, tamen nimis aperte contradicunt Concilio Senonensi, et id admittunt quod directe videtur contrarium libertati. E contrario vero Ledesma, timens hunc lapsum, a propria sententia invitit recedit.

15. *Declaratur.* — *Illatio.* — Et declaratur amplius ad hominem, nam idem auctor, artic. 2, ad 5, circa finem, ait auxilium prædeterminans applicare voluntatem ad operandum, et omnino non subordinari ipsi potentiæ, etiam quoad exercitium actus, quia tenet se ex parte primæ causæ; nam est motio, qua mediante Deus movet potentiam, et ideo non subordinatur illi. Ex quo evidenter infertur voluntatem non habere ullam potestatem supra tale auxilium, ut illud impediatur ab exercitio sui actus; nam illa duo sunt correlativa disquiperantiæ, scilicet, subesse alteri, et hoc illi præesse; ergo ablato uno, aufertur aliud; si ergo auxilium non subordinatur potentiæ voluntatis quoad exercitium actus, nec voluntas habet potestatem qua illi præsit (ut sic dicam), vel possit impedire exercitium sui actus; ergo non habet potestatem vitandi talem actum. Ergo repugnant illa duo, scilicet, auxilium

non subordinari potentiæ, et potentiam posse evitare actum, stante auxilio. Quod si forte dicat hanc potentiam vitandi talem actum esse tantum in sensu diviso, redimus ad priora absurda, et tantum verbis ludimus, quia hæc potestas non tollit, quin auxilium simul datum inevitabiliter actum inferat; nulla enim esse potest motio adeo necessitans, quin in sensu diviso relinquat potestatem vitandi actum, vel potius carenti illo; quia revera posse carere actu, ablato auxilio, non est posse vitare illum, quandoquidem nec potest vitare quin habeat auxilium, per intrinsecam potestatem moralem, sed solum potest illo carere ex voluntate extrinseca Dei, nec, illo auxilio posito, potest vitare quin actus sequatur. Nul- lum ergo subterfugium linquitur, quo hæc definitio Concilii Senonensis eludi aut vitari posse videatur.

16. *Objectio ex Concilio Senonensi.* — *Eliditur.* — Contra nos vero objici solet ex eodem Concilio Senonensi, quia de bonis operibus dicit: *In quibus et liberum arbitrium operatur, et gratia, primo tamen et principaliter gratia*, et ut Pelagianum condemnat, non solum eum qui negat necessitatem gratiæ, sed etiam qui primatum illi denegat. Sed hæc quid contra nos, qui id totis viribus, et omni veritate, et proprietate defendimus, cum eadem proprietate libertatem servantem et declarantes, quod alii in hac posteriori parte non præstant, et ideo potius eisdem verbis perstringi possunt.

17. *Alia objectio ex Concilio Moguntino.* — Objiciunt etiam nobis Concilium Moguntinum, cap. 7, in quo nihil invenimus nisi quod Concilium Arausic., et Trident. docuerunt, scilicet, initium justificationis esse ex gratia, et per gratiam nos excitari, et adjuvari, ut consentiendo, et cooperando, ad justificationem disponamur. Quæ omnia nos constanter docemus, idemque quod verbis Concilii Senonensis proxime respondimus, de illis dicere possumus. Et quæ in Concilio Tridentino, et aliis expendimus, in hoc ponderari possunt, quia tantum ponit gratiam excitantem, per quam solus Deus operatur in nobis, et adjuvantem qua nobiscum operatur, et nos illi libere cooperamur; aliam vero prædeterminantem gratiam nec agnoscit, nec indicat.

18. *Objicitur testimonium aliquod sub nomine Concilii Colon.* — *Distinctio auxilii prævenientis ibi tradita exhibetur.* — Denique objiciunt nobis testimonium aliquod sub nomine Concilii Colon., quod revera Concilii non est,

sed Enchiridium quoddam non magnæ auctoritatis, ut in proleg. 6, c. 22, in fine, diximus; et ideo necessarium nobis non esset ad illud respondere, etiamsi in aliquo nobis contradicere videretur. Re tamen vera nihil habet contrarium, imo sæpe dicit in hominis voluntate esse ut gratiam sibi oblatam vel recipiat, vel repudiet, et prævenientem gratiam acceptare, vel abjicere, et similia nostræ sententiæ consentanea. Neque ibi aliam gratiam operantem vel prævenientem insinuat, præter divinas inspirationes et illuminationes. Nihil ergo illi Enchiridio respondere necesse est. Utile vero censeo explicare quamdam distinctionem auxilii prævenientis, quam ibi tradit; tum quia esse potest usui, tum etiam quia posset aliquis ad prædeterminans auxilium illam applicare: *Nam quædam dicitur esse, qua Deus prævenit peccatorem ut resurgat, alia qua peccator prævenienti Deo assentiens resurgit.* Unde prior cogitari potest esse auxilium præveniens sufficiens, posterior vero auxilium efficax prædeterminans, quia dat non tantum posse, sed etiam consentire. Et ideo hæc posterior vocatur ibi *justificans gratia*, quia infallibiliter pertrahit ad illam.

19. *Ille datur circa gratiam prævenientem, ex actibus et proximis effectibus.* — Alius vero sensus longe fuit ab auctore illius libri intentus. Distinxit enim duplicem gratiam prævenientem, non ex modo determinandi, seu movendi voluntatem, sed ex actibus, et proximis effectibus ad quos gratia præveniens datur. Una enim datur ad actus, qui remote disponunt ad justitiam; alia ad actum, qui est ultima dispositio; et prior dicitur dari peccatori ut resurgat, posteriori vero jam resurgit. Unde utraque ex his gratiis potest esse sufficiens et efficax, neutra vero est physice prædeterminans voluntatem. Nam de priori gratia ibi dicitur consistere in motu cogitationis sanctæ, et affectionis, vel timoris, et ex illa sæpe oriri bonos actus liberos et supernaturales, disponentes aliquo modo ad justificationem, inter quos actus ponitur actus fidei vel attritionis. Est ergo gratia præveniens, non tantum sufficiens, sed etiam efficax ad suum proximum effectum propter quem datur, licet non semper sit efficax ad effectum justificationis ultimo intentum. Sicut vocatio ad fidem, qua homo de facto convertitur ab infidelitate, licet non convertatur ad poenitentiam aliorum peccatorum, vocatio efficax est in suo gradu, licet non sit ex omni parte perfecta, nec efficax quoad omnia ad justificationem necessaria. Unde

in illo effectu invenitur libera determinatio voluntatis, quæ ab ipsa fit cum cooperante gratia, et non a sola præveniente: quod in eodem libro, § *Ergo cum peccator*, insinuat, cum dicitur: *Interim nos ante justificationem nihil facimus, nisi quod bonis inspirationibus Dei non repugnamus, sed assentimus.*

20. *Gratia præveniens, quæ dicitur dari homini resurgenti a peccato.* — Alia vero gratia præveniens dicitur dari homini resurgenti a peccato, quia datur immediate ad dispositionem ultimam quæ simul tempore est cum justificatione ipsa. Et hæc etiam gratia præveniens consistit in divinis excitationibus per illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti, quibus homo immediate inducitur, et elevatur ad ultimam dispositionem, atque ideo ad ipsam justitiam, ut ibidem, § *Hanc autem gratiam*, late exponitur; unde hæc etiam gratia præveniens potest interdum tantum esse sufficiens, interdum vero etiam efficax, cooperante ipsi libera voluntate, eadem gratia præventa et adjuta. Et hoc est quod ibi significatur cum dicitur: Ita totum Deo recte adscribitur, qui voluntatem nostram, quam creando nobis impertiit, gratia sua prævenit, excitat torpescentem, ut lapsum suum norit; postea corrigit nolentem, ut resurgere possit, et sic salus nostra *Dei gratuitum est donum.* Hæc autem motio et excitatio quæ datur, ut immediate efficiat ultimam dispositionem ad gratiam, actu non justificat hominem, nisi quando actu obtinet a voluntate hominis talem consensum, et ideo tunc solum potest illam denominationem gratiæ justificantis recipere, justificantis, scilicet, non formaliter, sed suo modo effective et dispositive. Ad hanc autem efficientiam vel denominationem non est necesse ut habeat ex se, et natura sua, istam vim prædeterminandi physice voluntatem, sed satis est ut secundum propositum Dei in ea opportunitate conferatur, in qua prænosecitur effectum habitura; neque aliud ex illo Enchiridio colligi posset, etiamsi ejus auctoritas admittenda esset.

21. Præter Concilia, desiderare potest lector ut alia decreta ecclesiastica, a Summis Pontificibus de hac materia edita, expendamus. Si quis autem legat attente quæ de doctrina Pontificum in hac materia diximus prolegom. 6, cap. 1, facile intelliget nihil hic nobis addendum superesse, quia ipsi in suis Decretalibus solum confirmant Africana Concilia, vel eandem doctrinam tradunt, quam illa et Arausicanum Concilium docuerunt; et ideo quæ de

his Conciliis diximus, de decretis Pontificiis intelligi debent. Docent enim necessitatem gratiæ contra Pelagium, illique tribuunt salutis initium contra Semipelagianos, de auxilio autem prædeterminante ne verbum insinuant. Quod maxime intelligere liceat ex epistola Cælestini, ubi summam omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinens continetur, referuntur ex Innocentio Papa, et Africanis Conciliis, et aliquid additur ex Zozimo Papa, quod in ejus decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba: *Profundiores vero, difficilioresque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Cum ergo in superioribus regulis nihil de gratia prædeterminante doceatur, recte ex his ultimis verbis concludimus, ad expugnandos Pelagianos et Semipelagianos, et ad totam gratiæ necessitatem tuendam, illam non esse necessariam, ac proinde, cum aliunde videatur libertati repugnare, non esse admittendam. Propter hæc igitur plura de his epistolis Pontificum dicere non est visum necessarium, neque etiam pro nobis aliud speciale argumentum ex eis sumimus, præter negativum, quia sine auxilio prædeterminante sufficientem gratiæ doctrinam nobis tradiderunt, et Pelagianos et Semipelagianos confutarunt, quod in hoc puncto, ut sæpe ostendi, magnum est argumentum. Aliqua vero quæ nonnulli Pontifices, non ut Pontifices, sed ut Scriptores, vel Doctores ecclesiastici tradiderunt, in sequenti capite proponuntur. Ad Patres igitur veniamus.

CAPUT XL.

EX PATRIBUS AUGUSTINO ANTIQUIORIBUS PHYSICA PRÆDETERMINATIO REFELLITUR, ET VOCATIO CONGRUA COMPROBATUR.

1. *Scopus et ordo capituli.*—Ut veritatem lucidius ostendamus, et lectoris fastidium levemus, in tres classes Patres a quibus argumentum sumimus, distinguimus. In prima, ponimus eos qui vel Augustinum præcesserunt, vel usque ad ejus tempora vixerunt, et ab eo doctrinam ejus de gratia vix legere potuerunt; in secunda, solum Augustinum ipsum consti-

tuimus, tanquam præcipuum gratiæ Dei propugnatorem; in tertia, ponimus subsequentes Patres, qui Augustinum imitati sunt.

2. *Scriptorum ordo.*—*Principia generalia quæ.*—Quod ad primi ordinis Scriptores spectat, quia, ut dixi, fere nullus eorum, præter Hieronymum, de divina gratia ex professo disputavit, non sunt ab eis testimonia expressa expectanda, sed tantum aliqua generalia principia, ex quibus per necessarias, vel multum probabiles illationes, eorum sententia colligi valeat. Hujusmodi autem principia duo esse censemus. Unum est quod efficaciam prævenientis gratiæ morali modo explicent sine physica, seu efficaci prædeterminatione; aliud est quod ad libertatem requirunt intrinsecam potestatem proximam sese flectendi ad utrumque, cui repugnat necessitas prædeterminationis ab extrinseco prævenientis, ut in lib. 3, cap. 43, allegavi; et statim alios addam, qui etiam in operibus gratiæ necessariam existimant eandem potestatem proximam ad utramque partem, ac proinde volunt in nostra potestate esse uti vel non uti gratia, qua a Deo prævenimur, quod repugnat physiciæ prædeterminationi, ut defensores ejus fatentur.

3. *Adducitur Chrysostomus ex Patribus Græcis.*—Primo igitur, ex Patribus Græcis, adduco Chrysostomum, homil. 19 in Genes., dicentem: *Quia liberi arbitrii esse nostram naturam fecit Deus, ipse quidem quæ sua sunt, per suam misericordiam, semper exhibet, et sciens abscondita et profunda mentis arcana, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit, et necessitatem utique non imponit.* Quomodo autem necessitatem non imponat, declarans, subjungit: *Sed congruis remediis appositis, totum jacere in ægrotantis sententia dimittit.* Quod non video qua veritate dici posset si ex parte Dei concursus gratiæ necessarius, non cum indifferentia offerretur, sed in unam partem prorsus voluntatem hominis determinaret. Et ideo indicat Deum, suadendo et vocando, congrua ponere remedia, juxta infinitam præscientiam suam. Unde homil. 22 sic inquit: *Quia in nostra potestate totum post gratiam relictum est, ideo peccantibus supplicia proposita sunt, et bene operantibus retributiones.* Ubi valde notanda est particula *post gratiam*, tum ad explicandam mentem Chrysostomi in aliis locis, quæ mox referemus, quia manifeste loquitur de gratia præveniente et constituyente voluntatem in actu primo; tum etiam quia sub illa gratia comprehendit omnem gratiam quovis modo antecedentem con-

sensum voluntatis, ut ex priori loco et ex ipso contextu manifestum est, et, illa stante, dicit totum relinqui in potestate voluntatis, non quia voluntas non indigeat concursu Dei ad actuale consensum, sed quia illum habet ad utramque partem paratum, et solum expectatur cooperatio ejus; at si præcederet gratia prædeterminans, illa profecto non relinqueret totum in nostra potestate, quam ad unum inevitabiliter flecteret. Et simili modo dixit idem Chrysostomus, homil. 9 in Joan.: *Deus neminem cogit suadendo et benefaciendo, voluntarios quoscumque et ultro sequentes allicit, et ad se trahit.*

4. Aliis præterea locis videtur Chrysostomus aperte prædeterminationem negare, ut homil. 17 in Joan., cum dicit: *Deus nostras non prævenit voluntates;* et homil. 12 ad Hebræos, dicens: *Nostras non prævenit voluntates, ne nostrum lædatur arbitrium;* et homil. 42 ad Populum: *Nostras non prævenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* In quibus locis verbum *antecedit* et verbum *prævenit*, non sunt quidem posita ad excludenda auxilia gratiæ excitantis, seu prævenientis, quæ antecedens etiam dici potest; nam in hoc sensu locutiones continerent errorem contra fidem. Ergo posita sunt ad excludendum motionem vi sua efficaciter prædeterminantem voluntatem. Nec juvabit solum dicere posita esse ad excludendam motionem necessitantem, tum quia jam est ostensum non posse præviam motionem sic determinare, nisi necessitet; tum etiam quia essent futilia et identica verba Chrysostomi; perinde enim esset ac si diceret: Deus non necessitat voluntatem, ne tollat libertatem; sensus ergo est non prævenire illam tali efficaci motione, ne libertatem ejus lædat, seu ne illam necessitet. Atque in eodem sensu exponit Chrysostomus, in dicta homil. 42, illud Psalm. 120: *Ne des in commotionem pedem tuum,* dicens: *Quia in nobis est dare, non in ullo altero,* ubi illa negatio non excludit omnem effectum Dei, ut per se constat, et ipse statim declarat; excludit ergo præmotionem, quæ efficaciter faciat voluntatem ad movendum pedem. Nam verbum illud Psalmi, *Ne des*, idem significat quod: *Ne eligas*, aut voluntatem tuam ad hoc determines. Et ideo sibi statim objicit: *Quid ergo? In Deo nihil est?* respondet: *Omnia quidem in Deo, sed non ita ut liberum in nobis arbitrium violetur.* Nihil ergo potuit excludere, nisi hanc efficacem præmotionem.

5. Præterea, homil. 5 ad Ephes., in illa verba: *Qui aliquando eratis longe, facti estis pro-*

pe, cum dixit: *Illud longe, et illud prope est solius liberi arbitrii, et electionis,* per illud *solius* non excludit adjutorium Dei; excludit ergo motionem, quæ determinationem voluntatis antevertat et indifferentiam tollat. Et eandem doctrinam late tradit in homil. de Ferend. reprehensionibus et conversione Pauli, in fine, ubi prius dicit: *Paulum non sola vocatio adduxit, sed et voluntas ejus;* et addit infra: *Vellem autem vos sermonem hunc diligenter memoria tenere.* Et infra, cum dixisset Deum ita trahere hominem ut non cogat, addit verba valde notanda: *Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea quæ alioquin efficacia sunt, non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Ubi primum expendo vocare Chrysostomum efficacia auxilia, quæ ad salutem nihil proficiunt, quia homo resistit, sentiens plane per hominem tantum stare ut effectum non habeant; deinde docere Deum non movere hominem, qui convertitur, neque etiam Paulum ipsum per talem motionem cui homo resistere non possit, non quia Deus id facere non possit, sed quia si faceret, hominem cogeret, id est, necessitaret. Et hinc paulo infra reprehendit excusationem eorum qui dicunt: *Si Deus volet, persuadent mihi ut convertar.* Quos non arguo (inquit), sed valde probo quod ad voluntatem Dei confugiunt, vellem autem nos etiam nostra offerre, et tunc dicere: *Si Deus voluerit:* Et infra: *Et alioqui si solam voluntatem Dei prætexas, nihil eorum quibus opus habes, adipisceris unquam,* quibus verbis, et multis aliis, docere præcipue intendit efficaciam gratiæ, quoad actuale determinationem voluntatis humanæ, non ex sola divina, sed simul ab humana pendere.

6. Ad hæc testimonia Chrysostomi, præsertim ad locum homil. 12 ad Hebr., respondet Cumel., Chrysostomum non solum ibi de auxilio prædeterminante, sed etiam de omni auxilio præveniente et excitante loqui, ac subinde errasse, et semina Semipelagiani erroris jecisse. Et in me acriter invehitur quod inepte locum illum citaverim, subticendo antecedentia et consequentia verba. Et nihilominus ex eadem homil. 12 suam sententiam probare conatur, quasi potuerit Chrysostomus sentire prævenientem gratiam divinæ inspirationis vel excitationis repugnare libertati. Et ad hanc posteriorem partem suadendam, adducit generalia verba ejusdem Chrysostomi, homil. 4 de Laudibus Pauli, quibus virtutem et potentiam gratiæ divinæ mirum in modum extollit,